Quod substantia Corporis Domini, quæ sub speciebus panis continetur, appellari non possit Imago Corporis Christi.

INter alia, quæ asseruntur in quodā libello Meditationum, quem Italica lingua quidam Auctor edere intendebat, hæc habentur, quæ in compendium redacta, iisdem Verbis, quibus loquutus est Auctor, hic inserui. Inquit igitur. *Che Christo nel Sacramento riceue il simile essere à quello, che haue in Cielo, e che sopranaturalmente riceue sotto le specie sacramentali vn nuouo essere, e che Christo nel Cielo hà quasi prodotto vn Imagine di se stesso con vn nuouo essere, e perciò Christo nel Cielo è in vn certo modo Pàdre di se stesso nel Sacramento, e di se dice:* qui alios, parere facio ego non pariā? *è vuole, che s'ammiri questa fecondità di Christo, nella quale è in vn certo modo simile alla fecondità del Padre, che nella Diuinità genera il Verbo: con questa differenza però, che nella generatione del Verbo sono due Persone in vna Deità, e quiui è vna Persona in vna istessa natura. E che Christo dal Cielo dica à se stesso nella bassezza della terra:* Ego hodie genui te. *e che Christo nel Sacramento li risponda.* Pater meus es tu. *E che Christo in questa sua veduta ami la sua bella Imagine, e l'Imagine Sacramentale ami la sua sostanza, ond'hebbe l'origine di questo nuouo essere. E che Christo nel Cielo ringratij il Padre, che* dederit adiutorium simile sibi, *e che per mezzo di questa sua steme Imagine, tira gli huomini &c.*

Introducit deinde Christum loquētem de Cœlo Christo existenti in Sacramento. *Egli raccomandi l'anime, che sono in terra, egli dichi, che vuole dimostri à dette anime il desiderio, che hà di vnirsi con gli huomini,* & similia.

In qua Meditatione clarè patet, doceri substantiam Corporis Christi quæ ex vi Verborum ponitur sub speciebus panis in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento esse Imaginem substantiæ Christi existentis in Cœlo, & similem illi in natura, eo quod vult, quod Christus existens in Cœlo generet substantiam Christi in Sacramento vnde resultat inter ipsos relatio Paternitatis, & Filiationis, ita quod Christus in Cælo sit Pater, Christus verò in Sacramento sit filius; similitudo autem, quæ ex generatione ponitur in genito, semper est similitudo in natura. quare ipse postea dicens, quod Christus in Sacramento recipiat per hanc generationem nouū esse, simile illi, quod habet in cœlo tenetur concedere, hoc nouum esse debere esse simile in natura illi esse, quod habet Christus in cœlo. Quoniam verò hoc nouum esse, quod per hunc auctorem Christus ex vi consecrationis accipit sub speciebus panis, non est simile in natura modo essendi, quem habet Christus in cœlo; cum in Sacramento Christus habeat modum essendi, vt res spiritualis, sine vlla locali extensione; quod est prout loquitur Tridentina Synodus, sess. 13. cap. 1. esse *Sacramentaliter præsens sua substantia ea existendi ratione, quam verbis exprimere vix possumus.* In cœlo vero existit extensiuè *iuxta modū existēdi naturalē,* vt eadē Synodus ibidē docet: necesse est dicere, quod similitudo ista in natura ab Auctore Meditationum asserta, sit ratione substātiæ ipsius Corporis Christi ad eum modum, quo in diuinis Filius dicitur Imago Patris, vt sc. substantia Christi existentis in Sacramento secundum se considerata, sit per se ipsam Imago substantiæ Christi existentis in cœlo; ac propterea est illi similis in natura substantiali, & non in modo essendi. Insuper dicens, quod Christus in Sacramento sit datus à Deo Patre Christo existenti in Cœlo, in adiutorium simile sibi, clarè ex prædicta etiam phrasi innuit, similitudinem inter Christum Patrem, & Christum Filium debere esse in natura substantiali, sicut Eua ex eo, quod data fuerit Adamo in adiu-

torium simile illi, fuit facta à Deo, illi similis in natura, & essentia, quod ea phrasi sacra Scriptura explicare intendit, vt ex cap. 2. Genes. nu. 18. & 20. videre est.

Qui modi loquendi videntur noui, & in hac materia in Ecclesia Dei inusitati, & cum proponantur in meditationibus vulgari lingua, vt per manus etiã imperitorum circumferantur, facilè possunt intelligi in sensu à modernis hæreticis vsurpato, scilicet quod Sacramentum Eucharistiæ sit Imago Christi existentis in cælo, & inter substantiam corporis domini velatam speciebus sacramentalibus, & Christum existentem in coelo, sit realis distinctio, vt esse solet inter Imaginem, & Prototypum in creatis, sicut Imago D. Pauli ab ipso D. Paulo realiter distinguitur.

Et quia inter alia, quæ examinatoribus librorum imprimendorum præscribuntur in instructione adhoc serio facta à deputatione Tridentinæ Synodi reperiuntur sequentia capitula videlicet. *Profanæ etiam nouitates vocum ab hæreticis excogitatæ, & ad fallendum introductæ. Verba etiam dubia, & ambigua, quæ legentium animos à recto, & catholico sensu ad nefarias opiniones adducere possunt, correctione, atque expurgatione indigent.* In prædicta autem Meditatione expressè dicatur, quod Sacramentum Eucharistiæ sit Imago Christi existentis in cœlo, qui modus loquendi nunc communiter vsurpatur ab hæreticis nostri temporis, & hæretici Iconoclastæ tempore septimæ Synodi expressè nouo vocabulo Sanctissimam Eucharistiam appellabant Imaginem Corporis Christi, dicebant enim nullã aliam Imaginem esse adorandam, nisi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentũ in quo sub forma panis diuinum Christi Corpus reperitur, quod est Imago non manufacta Carnis Dominicæ; quem loquendi modum Nicæna Synodus 2. reprobauit, exhorrens nouitatem vocis Imaginis, quæ tribuebatur Sanctissimo Christi Corpori in Sacramẽto existenti, iudicatum est, prædicta Verba dictæ Meditationis esse expungenda, præsertim, quia nulla videbatur vrgere necessitas sic loquendi, maximè cum gente non erudita in vulgaribus Meditationibus, quando nulla peculiaris deuotio erga venerabile Sacramentum ex eo loquendi modo in eorum animas deriuari poterat.

Quod verò 7. Synodus reprobauit prædictum modum loquendi hæreticorum appellantium Sanctissimũ Corpus Domini Imaginem carnis suę, & dicentium adorandam esse veram Christi Imaginem, quam in vltima cœna ante passionem suam nobis tradidit ipse Dominus, manifestum est ex actione 6. dictæ Synodi tom. 3. in fine. vbi confutat prædictum errorem Iconoclastarum legente Epiphanio Diacono, nam post relatam blasphæmam definitionem Pseudosynodi hæreticorum illam legente Gregorio Episcopo Neucesariẽsi. Sic Synodus habet. *Nemo enim vnquam Sanctissimorũ Apostolorum, qui tubæ sunt Spiritus sancti, aut gloriosorum Patrum nostrorum, incruentum nostrum sacrificium, in memoriam passionis Christi Dei nostri, & totius suæ dispensationis factum; Imaginem corporis illius dixit; nam ita, qui accepit à Domino sic non dicit, aut confitetur, sed audiant eum sic dicentem Euangelice.* Nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non intrabitis in Regnum cœlorum, & qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum in me manet, & ego in eo. & cum accepisset panem, & gratias egisset, fregit, & dedit discipulis suis, & dixit. Accipite, & edite hoc est corpus meum, *non autem dixit, sumite, & edite Imaginem Corporis mei.* Et postquam ostendit Synodus sic etiam esse loquutos D. Paulum, & Sanctos Patres, subdit. *Sed hi, ut ergo isti sacrarũ Imaginũ cupientes contẽplationẽ obscurare, aliã scil. Imaginem introduxerũt, quæ sane nõ Imago est, sed Corpus & sanguis.*

Et paulopost ait, *Imaginem asserere Corpus, & sanguinem Domini eiusdem dementiæ est.* & postquam dixit; hæreticos confiteri, panem fieri Corpus Dñi in hoc Sacramento statim exclamat; *Et si Imago Corporis est, non pōt sanè fieri diuinū corpus.* Et quæ sequuntur. Quid clarius pro hac veritate dici potest?

In hac igitur Concilij doctrina primo dicitur, esse errorem Iconoclastarū vocare Sanctissimam Eucharistiā Imaginem Corporis Domini. Secundo nūquam sic fuisse appellatam, neq; ab Euāgelio, neq; ab Apostolis, neque à Sanctis Patribus. Tertiò dementiam esse appellare Sacramentum Imaginem & quarto denique. si Imago est, Panem Eucharistiæ nō posse conuerti in Corpus Christi.

Sed contra tam solidam, firmamque auctoritatem obijciunt aduersarij Cardinalem Delugo qui disp. 11. sec. 2. de Euch. n. 27 postquam probauit D. Basilium voluisse Panem, & Vinum in sacrificio Missæ esse antitypa Corporis, & sanguinis Christi ante consecrationem & non postea; & in eadem sensu intellexisse verba S. Basilij. D. Ioannem Damascenum, statim subdit. *In quo etiam sensu intelligi potest auctor illius confutationis relata in VII. Synodo. nam licet vterq; (Diuus sc. Damascenus, & hic auctor) deceptus fuerit in eo, quod putarent numquam post consecrationem appellari Eucharistiam antitypum à Patribus, cuius contrarium ex ipsis Patribus ostendimus, neuter tamen &c.* Ex quibus verbis inferunt contra nos primum, quod prædicta confutatio non sit Concilij, sed priuati cuiusdam auctoris, qui potuit decipi. secundo quod Eucharistia appellari possit Imago etiā post consecrationem, & quod de facto sic à Patribus appelletur.

Præterea obijciunt Cardinalem Bellarminum, qui in lib. 2. de Eucharistia cap. 15 respondens hæreticis nostri temporis, asserentibus ad probandum sanctissimum Eucharistiam esse Imaginem Corporis Christi, auctoritatem S. Basilij appellantis panem, & vinum Eucharistiæ antitypa Corporis Domini. vbi referens Cardinalis Bellarminus expositionem prædictorum verborū S. Basilij à S. Damasceno traditam, sic habet; *Altera solutio est aliorum vocari (sc. à sancto Basilio) panem Eucharistiæ antitypon Corporis Domini, sed ante consecrationem, non postea, ita respondit olim Ioannes Damascenus lib. 4. de fide. cap. 14. & Epiphanius in VII. Synodo act. 6. tom. 3.* sic ipse, qui statim dictam responsionem reijcit, intendens ostendere D. Basilium etiam post consecrationem vocasse sacramentum antytipum; ergo videtur sentire S. Ioannem Damascenum, & Epiphanium prædictum in VII. Synodo errasse, & consequenter auctorem illius confutationis, in eadem Synodo relatæ, quę hoc loco à Bellarmino tribuitur Epiphanio non esse Conciliū. Itemque videtur concedere etiam post consecrationem appellari sacramentum Imaginem ex mente sanctorum Patrum; & dicere eadem prorsus, quæ supra Cardinalis Delugo.

Sic Aduersarij. Sed quidquid sit modo de mente, & ratione Cardinaliū Delugo, & Bellarmini, de quibus paulò infra. Euidenter ostendo auctorē prędictæ confutationis esse Concilium Nicenum secundum, & hoc Concilium exhorruisse nouitatem vocis Imaginis in sanctissimo Eucharistiæ sacramento. Et primo auctoritate Card. Baronij in euoluendis antiquis monumentis peritissimi, & eruditissimi viri, qui anno 754. suorum annalium ex professo agēs de Pseudosynodo Constantinopolitana, quę se Oecumenicam falsò vocauit n. 9. vel vt in alia editione n. 5. primo retulit aliqua ex impijs decretis eiusdē Pseudosynodi, & postea subdit. *Extat verò Pseudosynodi definitio integra recitata in actione 6. Nicænæ posterioris Concilij: hoc inscripta titulo. Definitio sanctæ, magnæ, & vniuersalis Synodi*

nodi) *Ibique per singula à Sancto, verè Oecumenico Concilio confutatur.* Sic Baron. Auctor igitur confutationis lectę in 6. synodo act. 6. contra Pseudosynodum Iconoclastarum per Baroniũ fuit ipsum Concilium Nicænum. Et anno 787. n. 82. vel 34. referens, quæ fuere gesta in actione 6. eiusdem Nicænæ Synodi, ait: *In 6. actione est definitio facta ab hæreticis Iconoclastis in Pseudo septima, ab eis sic appellata, synodo Oecumenica, cui per singula capita paratum fuit ad venenum antidotum Gregorio Episcopo Neocesariense, legente textum hæreticorum per capita singula, Epiphanius Diaconus scitam à Patribus appositam responsionem perlegit.* & n. 53. vel 34. loquens de confutatione ipsa in puncto, de qua Aduersarij volunt non esse Concilij, sic habet. *Post multa ab Hæreticis calumniosè, subdole, & mendaciter dicta, confutata de sacris Imaginibus, eo peruentum est inter legendum, vbi illi, postquam omnes humana opera factas Imagines se detestari, & anathemati tradere, professi sunt, eam se venerari tantum Imaginem dixere, quam Filius Dei seipsum in Sacramento panis, & vini ante passionem expressit: ita ipsi quidem, cum tamen veritatem Corporis, & sanguinis Christi confiterentur. At quantum exhorruerint Patres vocem illam Imaginis in Sacrosancto Sacramento Eucharistiæ responsione omnium declaratum est.* Et n. 55. vel 35. in fine post relatum capitulum illud Pseudosynodi, in quo sanctissima Eucharistia dicebatur Imago corporis Domini lectũ in Concilio à Gregorio Episcopo, statim subdit: *Ad ista responderunt Patres; Verbum Imaginis in sanctissima Eucharistia penitùs detestantes.* Et numo 60. vel 38. vbi reiqlit prędicti erroris Iconoclastarum cõfutationem, de qua aduersarij dicunt non esse Concilij, subdit Baronius: *Hactenus de his Patres.* Sic iste eruditissimus, & de omni Ecclesiastica historia benemeritus auctor,

Ex quibus infero Primum certum esse ex mente Baronij, auctorem prædictæ confutationis esse Concilium. 2. Hæreticos Iconoclastas cum Concilio conuenisse in eo, quod sentirent in sanctissima Eucharistia verè contineri Corpus Domini, vt Baron. notat. nu. 53. vel 34. discrepasse verò in eo, quod Iconoclastæ illud vocabant Imaginem Corporis Christi Concilium verò reijciebat hanc vocis nouitatem, dicens non deberi appellari Eucharistiã Imaginem Corporis Domini, cum sit ipsũ Corpus Domini, atque adeo cum diuersitas inter eos solum esset de nomine in hac materia, Concilium Nicęnum talem loquendi modum ab hæreticis inuentum reprobauit.

Baronio addo alium Cardinalem etiam in monumentis antiquis peritissimum Robertum Bellarminum cõtra nos ab aduersarijs citatum, qui lib. 2. de Concilij auctoritate c. 8. §. *Deniq; certũ est.* & iterum lib. 2. de sacris Imaginibus cap. 15. eodem §. dum conatur ostendere libros illos, quibus prędicta secunda Nicæna synodus carpebatur, à modernis hæreticis Magno Imperatori Carolo attributos, nullomodo à dicto Imperatore fuisse compositos; inter alia sic clarissimis verbis habet. *Et quod grauius est, per calumniam, & mendacium multa tribuunt isti libri Nicænis Patribus, quæ numquam dixerunt, ac etiam interdum, quæ aduersarij dixerunt, quale est illud, quod Eucharistia sit Imago Corporis Christi, quod non solum Patres Nicæni non dixerunt, vt iste auctor somniat, sed ex professò refellunt.* Sic Bellarm. Ex cuius verbis primo infertur Iconoclastas docuisse sanctissimam Eucharistiam esse Imaginem Corporis Christi, & secundo, quod Patres Nicænæ Synodi id refellerunt.

Prædictis Cardinalibus subscribit P. Gabriel Vasquez to. 3. in 3. pẽm d. 179. cap. 2. dicens: *Veritas catholica Christum in Eucharistia non solum in sim-*

bolo

holo, sed verè, & realiter esse, est definita in multis concilijs: & post enumerata aliqua concilia subdit; *Et in septima Synodo act. 6. tom. 3. in fine*. Et iterum clarius in suo Opusc. de adoratione lib. 2. disp. 5. cap. 5. vbi respondens 3. arg. hæreticorum nostri temporis, volentium sacras Imagines nō esse in templis collocandas, sic ait. *Quinto hæretici nostri temporis catholicam veritatem impugnāt hoc modo: Templa instituta sunt pro vivis Imaginibus, quales sunt baptismus, & sacra Cœna, idest Eucharistia, quæ est Imago Corporis Christi, mortuæ ergo statuæ nō sunt in ipsis collocandæ. Respondeo Caluinum, & alios hæreticos nostri temporis in eo errore cum Iconomachis tempore VII. Synodi conuenire, quod Eucharistiam vocant Imaginem Christi, quem modum loquendi septima Synodus act. 6. to. 3. circa finem acriter reprehendit. Cum enim Eucharistia verè sit ipsum Corpus Christi, non debet Imago, aut figura illius appellari*. Sic Vasquez. Quam doctrinam iterū ratificauit ijsdem verbis to. 1. par. 3. disp. 105. nu. 35. Docet igitur hic auctor esse doctrinam hæreticorum nostri temporis, & priscorum Iconomachorum appellare Sanctissimam Eucharistiā Imaginem Corporis Christi; & septimam Synodum hunc errorem reprobasse.

Et Greg. de Valentia in controuersijs lib. 1. de reali præsentia Christi in Eucharistia. §. *Nono circa ann. 700*. in fine impugnans hæreticos nostri temporis, vocantes Sanctissimam Eucharistiam Imaginem Corporis Christi, dicit *anno Domini 781. synodus 2. Nicæna notat Iconomachos de eodem errore; contra quos clare affirmat sacrificium nostrum a Christo, & Apostolis, numquam fuisse vocatum Imaginem, aut similitudinem, sed ipsum Corpus, & Sanguinem Christi*; quod etiam docet in tom. 4. suæ Theo. disp. 6. pun. 1. quest. 3. §. 2. ver. *nono circa*; in fine; ergo per hunc auctorem doctrina supra citata, in qua dicitur nūquam fuisse Sacramentum Eucharistiæ appellatū à Christo, & Apostolis Imaginem Corporis Christi est à Concilio Nicæno tradita, & non à priuato auctore. Et Claudius de Sainctes repet. 3. de veritate Eucharistiæ idem docet dicens: *Secunda Nicæna Synodus penitus inficiatur ab vllo Christiano Patre figuram Eucharistiam nominatam*. Eamdem veritatē similiter sequitur Iodocus Coccius in suo thesauro Catholico, vbi lib. 6. ar. 1. inter Patres Græcos an. 790. ait Concilium Nicænum secundum prædictam à nobis traditam doctrinam docuisse ijsdem verbis, prout superius à nobis allata est; & Ioannes Garetius in libro de vera præsentia corporis Christi in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, in Classe 5. probans ex Concilijs catholicam doctrinam prædictā, inter alia Cōsilia adducit Nicenum secundum quod est septimum Vniuersale, in tom. 3. actionis 6. ijsdem consilij verbis prout supra relata sunt à nobis.

Accedit etiam ad hæc Suarius disput. 46. tom. 3. par. 3. §. *Dicendum vero est*, vbi ad probandum verè, & realiter, & non in signo contineri substantiam Corporis Christi in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, ex eo quod Christus dixit. Hoc est Corpus meum; sic habet. *Tota hæc assertio de fide est, quæ probatur primo ex Concilijs; nā in VII. Synodo act. 6. to. 3. expresse refellitur expositio hæreticorum de signo corporis hæc verba interpretantium, & ponderatur non dixisse Dominū: accipite figurā corporis, sed corpus meū*; ergo ex Suar. doctrina sup. cit. VII. Synodi, in qua prædicta verba Saluatoris ponderantur ad ostendendam Sanctissimam Eucharistiam non esse appellādam Imaginem, est Concilij, & de fide tenenda. Insuper dictus auctor disp. 54. sect. 1. to. 1. 3. p. §. *ad 2*. habet Concilium Constantinopolitanum nō fuisse legitimum, *quia illius acta in 7. Synodo actione 6. singillatim damnata sunt*; & subdit. *quā 7. Synodū, seu secūdam Nicænam vniuersalem, legitimamq; fuisse constat, quia auctoritate Adriani I. trecenti quinquaginta Patres, ad illam*

*conuenerunt, in sub. Obedientia, præsidentibus eius legatis processit; ac deinde que ab eodem, & à Leone 3. confirmata est. Sic Suarius qui cũ totus sit ad probandum tot rationibus Nicænam synodum fuisse legitimam, vt inde concluderet Pseudosynodũ Constantinopolitanam in actione 6. Synodi Nicenæ confutatam, fuisse à legitima damnatam Synodo; manifestum est tenuisse auctorẽ, qui Pseudosynodum confutauit fuisse Nicenam Synodum, alioqui frustra probasset Nicenam Synodum fuisse legitimam. Et apertissimis verbis d. Disp. 46. sect. 1. probat ex VII. synodo act. 6. tom. 3. in fine videri Græcos Iconomachos negasse præsentiam corporis Domini in Eucharistia; & in eadem sect. probans consensum Ecclesiæ tenentis in Sacramento præsentiã corporis Domini ex Concilijs, affert 7. Synodum act. 6. to. 3. damnantem Iconomachos, volentes Eucharistiam esse tãtum Imaginem, seu figuram Christi, & sententiam istam abominandam, & extremã dementiam esse dicentem, & traditioni Apostolorum, & omnium Patrum, ac veritati, & proprietati verborum Christi contrariam; & sect. 2. probat ex eodem loco 7. Synodi antiqua Concilia intellexisse verba Christi Io. 6. de manducatione Sacramentali carnis Christi in Sacramento realiter existentis. Et in d. Disp. 46. sec. 4. to. 3. eiusdem 3. par. respondens hæreticis nostri temporis, conantibus probare Eucharistiam esse Imaginem, eo quod appellatur à Sanctis Patribus antitypon corporis Domini §. *ad Gregorium Nazianzenum*, referens opinionem dicentium sic appellari ante consecrationem, sic habet. *Ita exponitur Basilius in vit. lo. 7. Synodi, quam expositionem approbat Damasc. l. 4. c. 14. & Eutimius sup. Matt. 26.* ergo etiam ex sententia huius grauissimi Doctoris auctor confutationis aduersus Pseudosynodũ Iconoclastarũ in 7. Synodo recitatæ, fuit ipsa Nicæna Synodus, & locus ille, in quo exponitur S. Basilius appellasse panem Eucharistiæ antitypon ante consecrationem, & in quo, quę diximus, refutantur, est per Suarium eiusdem septimæ Synodi, & non priuati auctoris. Suario subscribit Lessius de Sacramentis quæst. 75. art. 1. n. 12. §. 2. *Synodus,* dicens, *synodus septima œcumenica, quæ est Nycęna secunda 350. Episcoporum act. 6. tom. 3. docet, sacrificium nostrum non esse imaginem, aut similitudinem Corporis Christi, sed ipsum Corpus, & sanguinem, & contrariam sententiam vocat abominandam, & extremam dementiam, traditioni Apostolorum, & omnium Patrum, et proprietati, veritatique verborum Christi contrariam.* Sic Lessius: manifestum igitur est ex tantorum Doctorum auctoritate Nicęnam Synodum secundam docuisse veritatem prędictam; ac esse prędictę confutationis auctorem.

Secundo probatur etiam dictæ confutationis auctorem fuisse Nicenum Concilium ex historia prędicti Concilij, quæ in principio actionis 6. refertur. In qua post relatum ordinem, quo in dicta actione consederant legati Summi Pontificis, Tharasius Patriarcha, & tota synodus. Leo secretarius primo breuiter retulit, quę in præcedenti actione fuerant gesta; deinde dixit, attulisse blasphemã definitionem Pseudo synodi Iconoclastarum, & simul cum illa efficacem eiusdem confutationem, de qua apertè fassus est coram toto Cõcilio Spiritum Sanctum dedisse his verbis. *Quam Spiritus Sanctus nobis dedit*; Et Patres nullomodo contradicentes iusserunt, vt legeretur. Vnde in dicta actione 6. nihil aliud factum est, nisi quod Gregorius Episcopus legit Pseudosynodi definitionem, & Ioannes, & Epiphanius Diaconi successiue aduersus illam paratam confutationem. Spiritus autem Sanctus nulla alia via in generalibus Concilijs dat contra hęreticos doctrinam suam, nisi faciendo, vt Patres legitime congregati consentiant in illam. ergo Leo Secretarius,

quam

quam ab omnibus Patribus cōfutatio-
nem Pseudosynodi acceperat, rectè di-
xit dedisse Concilio Spiritum Sanctū,
& *Patres Concilij scientes* verè illam
Secretario dedisse, nullo modo con-
tradicentes in eo, quod dicebatur, esse
à Spiritu Sancto traditam, dixerunt,
legatur, ac propterea Baronius anno
787. nu. 42. vel vt in alia editione n. 34.
dixit, quod *Epiphanius Diaconus scitam*
à Patribus appositam responsionem perlegit.
Ergo prædictę confutationis auctor
alius esse non potest, nisi ipsa Synodus
Nicęna, & Patres in ea congregati: nisi
velint aduersarii dicere, totam sextam
actionem, quę in 7. Synodo habetur, nō
esse actionem 7. *Synodi*, sed priuati au-
ctoris *Pseudosynodum* hereticorum
confutantis; atq; adeò malè inter Synodi
actiones numerari, nullamq; habere
auctoritatem. Et confirmatur 1. quia
si in hac historia diceretur Concilium
decreuisse, quæ in ea confutatione di-
cuntur, illamque tradidisse Leoni Se-
cretario, nullus dubitaret confutationē
prędictam esse Concilij, & in hoc cre-
deretur historię, ergo eidem historię
credendum est dicenti, illam dedisse
Spiritum sanctum, atque adeò auctorē
dictę confutationis non fuisse priuatę
auctoritatis, sed ipsum Concilium legi-
timè congregatum, per quod Spiritus
sanctus loquitur, & dat quę à Concilio
statuuntur, & in actionibus eius propo-
nuntur tamquam à Spiritu Sācto data.
Et confirmatur secundo, quia Pseudo-
synodus hereticorum, ab ipsis appellata
7. Synodus Constantinopolitana Oecu-
menica, confutari debebat à verè 7. Sy-
nodo Nicęna secunda, quę ad illam
reijciendam fuit congregata: ergo con-
futatio Pseudosynodi predictę necessa-
rio debuit ab ipsa Synodo legitima fieri,
alioqui nullā habuisset auctoritatē ad
destruendam Pseudosynodū heretico-
rum, neq; ad mouendum animos Ca-
tholicorum, vt Pseudosynodum dete-
starentur.

Tertiò deniq; probatur predicta
veritas ex defensione Nicęnę Synodi
secūdæ facta ab Adriano primo summo
Pont. qui prædictam Nicænam Syno-
dum confirmauerat. Nam cum anno
794. occasione Concilij Francofordiē-
sis, Hæretici impugnare conati sint prę-
dictam Nicænam Synodum, vt erectas
in dicta Nicæna Synodo sacras Imagi-
nes iterum deijcerent, & cum nihil in
dicto Francofordiensi Concilio profe-
cissent, omnia capita, quæ prędictæ Ni-
cenæ synodo opponebant, obtulerunt
Carolo Magno, tunc Francorum Regi
Christianissimo, qui illa transmisit per
Engilbertum Abbatem Adriano Sum-
mo Pont. consideranda. Constat hoc
ex literis ipsius Adriani ad Carolum
Regem datis, quibus ad singula capita
oppositionis hæreticorum respondit.
En Verba Pontificis in dicta Epistola
ad Carolum, quæ habetur tom. 2. epist.
Summorum Pont. & est inter epistolas
Adriani tertia; Pontifex igitur post-
quam significauit Carolo, se Engilber-
tum amanter suscepisse, prout ipse vo-
lebat, illiq; aurem præbuisse placabilē,
& eum cum magna familiaritate enar-
rantem suscepisse, statim subdit. *Inter*
quæ edidit nobis capitulare aduersus Sy-
nodum, quæ pro sacrarum Imaginum ere-
ctione in Nicæa acta est: Valde pro vestra
melliflua regali dilectione per vnum quod-
que Capitulum Responsum reddidimus,
non quemlibet, absit, hominem defenden-
tes; sed ueteranam traditionem sanctæ Ca-
tholicæ, & Apostolicę Romanæ Ecclesię
tenentes, priscam Prędecessorum Summo-
rum Pontificum sequimur doctrinam,
rectè fidei traditionem per omnia vindi-
cantes. Sic Adrianus Pont. in fine Proe-
mij dictę suæ epistolæ.

Ex quibus sanè colligitur inficiari
non posse ea, quæ responderit Adria-
nus esse, vt conformia fidei Catholicæ
sustinenda. Inter alia igitur, quę Nicę-
nę synodo opponebantur ab hereticis
in dictis libris (qui propterea quod à
Carolo Magno fuere transmissi Summo
Pontifici, occasionem hauserunt hære-

tici

tici nostri temporis asserendi à prędicto Magno Carolo fuisse compositos, & ab ipsis appellantur Carolini,) illud erat, quod, loco supra pro nobis citato, notauit Bellarminus, per calumniam, & mendacium dictæ Nicenæ synodo impositum, cum reuera à Pseudosynodo Iconoclastarum dictum fuerat; videlicet, vt refert idem Bellarm. quod Eucharistię Sacramentum sit Imago corporis Christi. Sed afferamus verba ipsa oppositionis contra Nicęnam Synodum factæ, & Pontifici transmissæ, quę in dicta Epistola Pontificis referuntur, & reijciuntur, & sic habent: *Quod magnę sit temeritatis,* opponunt hæretici Nicenę Synodo in c.38. *ingentisq; absurditatis sępe memoratas Imagines corpori, & sanguini dominico ęquiparare velle.* Sic illi per calumniã tribuẽtes Nicenę Synodo, quę dixerant Iconoclastę. Nunc audiamus quid ad hęc respondeat Pontifex, vt appareat auctor cõfutationis, de qua agimus. *Nõ ęquiparauerũt,* inquit in resp. ad c.38. *sed magis scripturaliter dixerunt;* ergo cõfutatio, de qua agimus, quã impetunt heretici, & Põtifex defendit, & dicit, esse magis scripturaliter dictam, nõ est alicuius priuati auctoris, sed Patrum Niceni Concilij, & vt talis à Papa defenditur. Sed vt hęc veritas magis constet, audiamus quęso, cur dixit Pontifex, Patres magis scripturaliter dixisse. *Nullus enim,* subdit ipse, *aliquando tubarum Spiritus Sanctorum Apost. aut probabilium Patrum nostrorũ quæ sine sanguine nostram libationem ad memoriam Passionis Christi Dei nostri, & omnis eius dispensationis factam dixit Imaginem Corporis eius; nec acceperunt à* Domino sic dicere, *aut confiteri; sed audiant dicentem eum euangelicè,* nisi comederitis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non intrabitis in regnum cœlorum, *& alia plura ex doctrina Domini, & B. Pauli Apostoli, quę exarare noluimus, quia in eadem per ordinem scribitur Synodo.* Sic Pontifex. Illã igitur doctrinam numero, & ijsdem verbis prorsus, prout fuit in sua illa confutatione proposita à Nicena Synodo, tradidit Carolo Regi Pontifex, vt doctrinam Rom. Ecclesiæ, & quia noluit omnia referre, quę fuerant à Nicæna Synodo dicta in capite illo confutationis à Pontifice laudato, ad cętera, quę in illo sequuntur, se remittit, videlicet desumpta ex Domini doctrina, & Beati Pauli Apostoli, & dicens nolle doctrinam illam exarare, *quia in eadem scribitur Synodo,* declarat Pontifex non solũ, quæ ipse dixit, esse Synodi doctrinam, conformem doctrinę Christi, & Apostolorum, sed etiam, quę in eodem capite confutationis sequuntur, & non fuere relata à Pontifice: ergo ex prædictis manifestè patet, auctorem confutationis doctrinę hereticorum Iconoclastarum, Sanctissimam Eucharistiam appellãtem Imaginem, esse non priuatum hominem, sed Nicænam Synodũ, doctrinamq; in ea traditam, esse doctrinam Rom. Ecclesiæ, & vt talem à Rom. Pontifice datam, atq; adeo Substantiam Corporis Christi sub panis speciebus cõtentam in Sanctissimo Eucharistię Sacramento non esse Imaginem Corporis Christi, sed ipsum Corpus Christi, vt Nicæna Synodus docuit, & Pontifex cõfirmauit. Ac etiam esse errorẽ, Substãtiã predictã vocare Imaginẽ Corporis Christi, nõ solũ patet ex dictis; sed etiã quia Papa, & Cõciliũ hũc modũ loquendi reijciunt, vsurpatum ab Iconoclastis; sed audiamus quid cõtra hoc ad prædicta addat Pontifex Adrianus. *Nam ęquiparare,* subdit statim ipse, *vt dicunt Iconoclastę hęretici in eorũ Pseudosynodo, venerandas Imagines Corpori, & Sãguini Dominico, insipienter ęquiparauerũt;* Sic Pontifex. Quę verba vt in vero sensu à *Pontifice* intento intelligantur, videndum est, quomodo Iconoclastę in sua Pseudosynodo sunt loquuti in hac materia, & manifestè apparebit, in quo sensu ęquiparauerũt Imagines Corpori Domini, vt affirmat Papa. Et quidem Baronius, Bellarminus, & Vasquez, alijq;

alijq; supracitati dixerunt, Iconoclastas voluisse, Eucharistiam esse Imaginem, Corporis Christi; atque ob id à Pontifice dicuntur, equiparasse Imagines Corpori Dominico, quia sc. fecerunt Sanctissimum Christi Corpus, quod in Eucharistia continetur, Imaginem. Sed melius est ipsos audire, quia eius definitio integra refertur in act. 6. Nicenæ Synodi, & apertè patebit, in quo sensu equiparauerunt. *Exultent, & lætentur,* aiunt ipsi, *quicumque veram Imaginem venerantur, quam ipse Dominus Deus noster Summus Sacerdos circa Passionis tẽpus in typum, & recordationem efficacissimam suis Sacerdotibus tradidit.* & post relatum modum, quo Christus Dominus Sanctissimam Eucharistiam instituit, statim subdunt. *Ecce igitur viuificãtis Corporis illius Imaginem, quæ honorificè, et gloriosè exhibita est,* & post aliqua, quibus probare conantur errorem suũ, subdũt. *Panem Eucharistiæ veluti veram Imaginem naturalis carnis per Sancti Spiritus aggressionem sanctificatam, diuinum Corpus esse voluit.* & paulò infra dicunt. *à Deo tradita Imago Carnis eius, panis sc. diuinus impletus est Spiritu Sãcto cum poculo quoq; sanguinis illius viuificantis.* hæc sunt, quæ in Pseudosynodo Iconoclastarũ definiuntur, & in hoc sensu isti hæretici Imagines Dominico Corpori æquiparauerunt, docendo sc. sanctissimum Christi corpus in Sacramento contentum esse Imaginem adorandam. Et de hac doctrina Summ. Põtifex Adrianus dixit, quod *insensabiliter æquiparauerunt*, & vitiosus est hic modus loquendi, quia hæretici tempore Caroli Magni impugnantes 7. Synodũ, sic sunt loquuti, dicentes, *esse magnæ temeritatis, sæpè memoratas Imagines Corpori Dominico æquiparare*, hoc est inter Imagines Corpus Domini computare, affirmando Corpus Domini in Sanctissima Eucharistia contentum esse Imaginem, vt Iconoclastæ ausi sunt, affirmare, qui non negabant veritatem Corporis Domini in Eucharistia, sed solum dicebant illud esse Imaginem, & sic Imaginibus æquiparabant. Manifestum est igitur ex supradictis omnibus, & auctorem prædictæ confutationis fuisse Nicenam Synodum; & hunc modum loquẽdi, appellantem sanctissimam Eucharistiam Imaginem Corporis Christi in sensu ab Iconoclastis vsurpato, esse à Romana Ecclesia reijciendum, vt ab Adriano Pontifice reiectum, & à Concilio Niceno, à dicto Pontifice approbato, & in hoc eodem puncto à calumnijs hæreticorum defenso, reprobatum; Ac proinde prædictus Carolus Magnus Romanorum Imperator relatus à Claudio de Saintes repetitione tertia de veritate Eucharistiæ post medium: prædictæ Concilij definitioni, ac Summi Põtificis doctrinæ insistens, veritatem iam dictam, quod scilicet Corpus Christi nõ sit vocandum imago, his verbis confessus est. *Non Corporis, & sanguinis Dominici mysterium Imago iam nunc dicendum est, sed veritas, non vmbra, sed corpus; non exemplar futurorũ, sed id, quod exemplaribus præfigurabatur, iam aspirauit dies, amotæ sunt vmbræ, non ait. hæc est imago Corporis mei, & sanguinis, sed hoc est Corpus meum.* Sic ipse.

Sed inquiunt aduersarij: prædictis nõ obstantibus, rationem Card. Delugo, quã fundatus dixit, deceptos esse D. Damascenum, & auctorem confutationis relatę in Nicęna Synodo in eo, quod docuerunt, nullum ex Sanctis Patribus appellasse post consecrationem Sanctissimam Eucharistiam Imaginem Corporis Domini, manere adhuc in sua firmitate insolutam. Nam Sancti Patres ab ipso Cardinale relati id manifestè affirmant: quæ ratio eadem est, cui Cardinalis Bellarminus non sit, sequitur secundam responsionẽ, traditam à D. Damasceno, & Epiphanio, exponentibus S. Basilium, vt supra obijciebant Aduersarij, ergo saltem ex Doctrina Sanctorum Patrum potest Sanctissima Eucharistia appellari Imago. Bene instant. Sed contra hoc maxime facit, quod

Adrianus Summus Pontifex etiã negat, cum auctore (vt loquuntur aduersarij) illius confutationis, Sanctos Patres appellasse Sanctissimã Eucharistiã Imaginem. De Pontifice autem nullus catholicus audebit affirmare, quod sit deceptus in sua illa respõsione ad res fidei ptinente, ad Carolum Regem data, vt doctrinam Romanę Ecclesię; ergo videndum est, in quo sensu Sancti Patres vocant Sacramentum Imaginem, & in quo talem appellationem illi negant Papa, & Concilium, & docent, negari etiam à Sanctis Patribus, & adhibita hac distinctione, soluta erit difficultas de sententia Cardinalium de Lugo, & Bellarmini in locis per aduersarios citatis.

Et non recedendo à doctrina ipsorum met Cardinalium de Lugo, & Bellarmini, desumpta ex locis ipsis, vnde cõtra nos sumpsere argumẽta aduersarij; suppono tamquam certum id, quod docet Bellarminus in d. cap. 15. lib. 2. de Euchar. §. *est igitur* 3. *Responsio*, ex quo probatur ab aduersarijs posse post consecrationem appellari Sacramentum Imaginem; vbi sic habet *Eucharistiam, etiam post consecrationem rectè dici antitypon Corporis, & sanguinis, non solum quia species panis, & vini sunt signa corporis, & sanguinis, ibi reuera existentis, sed etiam, quia ipsum corpus, & sanguis Domini, vt sunt sub illis speciebus, signa sunt eiusdem corporis, & sanguinis, vt fuerunt in Cruce, repræsentat enim Eucharistia passionem Christi*: sic Bellar. & Card. Delugo in d. Disp. 11. sec. 2. pro aduersarijs citata assignans rationem, cur à Sanctis Patribus Eucharistia dicatur Antitypon Corporis, & sanguinis, cum sit ipsummet Corpus, & sanguis, respõdet n. 25. *id fieri duas ob præcipuas rationes, quarum prima est ratione specierum panis, & vini, quę symbola, & signa sensibilia sunt Ad sacramentaliter significandum Corpus, & sanguinem Christi: Secunda ratio est, (vt idem dicit nu. 26.) quia Corpus Christi prout speciebus velatum, & occultum, est symbolum sui ipsius passibilis in Cruce, & in Cœna, sicut sanguis sub speciebus vini significat ipsũ sanguinẽ, effusũ in passione pro nobis; et deniq; significat, idẽ Corpus, & eumdem sanguinẽ reuelata, & manifesta specie in seipso videndum in cælo.* Quę deinde ipse probat auctoritate *Patrum*, qui in prędictis sensibus appellarunt Sacramentũ Imaginem. Atq; hęc est doctrina Cardinalis Delugo. In qua considerandum est, quod Sancti Patres vocant ex mente ipsius, sicut etiam ex Bellarmino, Imaginem, vel solas species Sacramentales, vt in primo sensu: & cum in eo non fuerint loquuti Iconoclastę; quia cũ pertinaciter tenerent, nullã puram creaturã debere adorari, ne committeretur Idololatria, nullomodo potuerunt Imaginem, quam in Eucharistia proponebãt, adorandam, asserere esse species Sacramentales, quę purę sunt creaturę, ac etiam consequenter Concilium, & Papa, qui negabant, quod asserebant Iconoclastę, quando negarunt Eucharistiã esse Imaginem Corporis Christi, non sunt loquuti de speciebus Sacramentalibus; atque adeo illi Patres, qui in hoc sensu loquuntur, non contradicunt doctrinę Concilij; nam cum Iconoclastę ipsum Corpus Christi dicebant esse Imaginem, hoc negarunt Concilium, & Pontifex. Vel secundo vocant Sancti Patres Eucharistiam Imaginem, quia Corpus Christi, vt velatum accidentibus panis, & vini, reprę̨sentat seipsum, vt erat passibile in Cruce, aut in Cœna, vel reuelata specie videndum in celo. In qua doctrina aduertendum est, Sanctos Patres non dicere Christum existentem in Sacramento, esse ratione suæ substantiæ Imaginem Christi existẽtis in cælo, sicut de Verbo Dei S. Paulus ad Hebr. 1. dicit, quod sit Imago, seu figura substantiæ Patris; sed dicunt, Christum, vt immolatum in Missa, esse Imaginẽ sui ipsius se offerentis in Cruce, aut in Cœna, vel vt velatum accidẽtibus, sciuè stat sub isto modo essendi

Sacramentali, esse Imaginem sui ipsius reuelata facie se manifestantis in cælo. Ad eum planè modum, quo quis indutus regijs vestibus Regem repræsentans in scæna, est quidem Imago, & repræsentatiuus Regis, sed non ratione suæ substantiæ, verum ratione illius modi essendi, quem in scæna habet; ita Dominus noster, vt stat sub isto modo essendi Sacramentali, & ratione eiusdem est Imago sui ipsius regnantis in cœlo, ac seipsum repræsentat, vt obiectũ nostræ beatitudinis, cuius est pignus in Sãctissimo Eucharistiæ Sacramẽto: nam sicut hic velatus sua carne nutrit fidelium animas, sic ibi reuelata facie easdem sua diuinitate satiabit. In quo sensu Sacramentum Eucharistiæ appellatur ab Ecclesia memoriale passionis Christi, & pignus futuræ gloriæ; ac proinde ex mente Sanctorum est Imago secundum modum; quatenus sc. sub vno modo essendi (vt bene aduertit Suarez) existens, repræsentat seipsum, non absolutè, sed vt existentem sub alio modo essendi. En verba huius Doctoris in to. 3. 3. p. disp. 46. sec. 4. in qua explicans, in quo sensu Sancti Patres loquuntur, quando vocant Sacramentum Imaginem, vt respondeat hæreticis nostri tẽporis, volentibus Sanctissimam Eucharistiam esse Imaginem Corporis Christi, & Sanctos Patres adducẽtibus pro sua sententia §. 2. *notandum est*, sic habet. *Addo ex Anselmo, & ex dictis sup. disp. 2. licet in hoc sacramento verè, & substantialiter contineatur corpus Christi, tamen in modo existendi differre à modo connaturali corporibus, quo ipsemet Christus in propria specie existit; & ideo, quoad hunc modum, posset dici Christus existere in hoc Sacramento vel incorporaliter, aut inuisibiliter, aut minus propriè, seu figuratè; sic etiam voces, quæ significant Christum esse hic, quodammodo dicuntur interdum continere figuram, quia quoad hunc modum alium sensum habent, quàm si extra hoc mysterio haberent, & hac sola obseruatione facillimè respondetur dictis omnibus loquutionibus Sanctorum Patrum applicãdo illam, prout locus, aut contextus postulabit &c.* & infra §. *ex his*, expressè habet. *In hoc mysterio figuram esse quoad modum quia Christus non in propria specie sed sub aliena sumendus est*. Sic ipse. Per ipsum igitur, quando Sancti Patres dicunt Eucharistiam Imaginem Christi, considerant Christum, vt existentem sub modo existendi sacramentali, & vt sic repræsentare seipsum existentem sub alio modo existendi differente. Vnde ipsemet Suarius in principio eiusdem paragraphi 2. *notandum* clarè habet, quod ex mente Sanctorũ Patrum illud, quod repræsentat Christum pro nobis Crucifixum, vel existẽtem in cælo, sit ipsum Sacramentum sc. Corpus Christi, vt stat sub speciebus panis; vt sic enim est sacrum signum, & repræsentatiuum &c. numquam autem dixit Sanctos Patres voluisse carnem Christi, quæ continetur, esse Imaginẽ sui ipsius existentis in cælo; cum hanc rationem Imaginis habeat per Suariũ; vt stat sub modo existendi Sacramentali, non autem absolutè, & considerata secundum suam substantiã, vt sic enim est ipsummet corpus Christi, & à nullo vmquam fuit appellata Imago corporis Christi, nisi ab hæreticis Iconoclastis in sua blasphæma definitione. Et ab hæreticis nostri temporis, teste Cardinali Roffensi in suo illo aureo opusculo de veritate corporis Christi in Eucharistia lib. 2. cap. 19. contra Ioannem Oecolampadium, vbi impugnans id, quod dictus Hæreticus ex auctoritate Sãctorum Patrum præsertim verò Chrysostomi, & Basilij, astruere conabatur, quod scilicet corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento exemplar sit (id prorsus quod noster Auctor, quem impugnamus ex ijsdem Sãctis Patribus infert) attulit verba prædicti hæretici ex prædictorum Sanctorum Patrum doctrina suum errorem inferentis, quæ sequuntur. *Colligitur ergo quod corpus Christi exemplar sit. & vt Basilius dicit,*

Antitypon; sed contra insurgit Cardinalis prædictus, mentē Sanctorum Patrū explicans. *Tu præposteras admodum collectiones facis, unde precor, istud colligis? an tale quiddam affirmauit Chrysostomus? minimè profectò. Sed dixit sacrificium istud, quod in altari facimus, illius hostiæ quæ in Cruce immolabatur exemplar esse. Verum ex eo nō rectè colligis, corpus istud exemplar, illius esse, quod nemo non perspicit, qui vel mediocriter in dialecticâ fuerit exercitatus. Nam aliud est sacrificium corporis, aliud ipsum corpus. Nos tamen concedimus juxta sanum intellectum non quod absolutè corpus hoc sit illius exemplar nam sic idem exemplar esset, & exemplatum figuratum, & figura; sed quod corpus istud quatenus est sub specie panis repræsentat & referat ipsum quod corpus exangue sub vera specie carnis pependit in cruce. atque quod ita sit exemplar, & figura modis omnibus comprobamus; nec aliud Basilium voluisse cōpertissimum habemus.* Sic iste doctissimus Auctor, qui Catholicam fidem suo etiam sanguine testatus est verissimam esse, sensum catholicū explicat, in quo Sacramētum Eucharistiæ imago appellari possit; juxta mentem Sanctorum Patrum. In quo prorsus sensu à Suario, & Cardinalibus prædictis explicato, etiam à Concilio Niceno, & Pontifice Adriano fuit dictum, *Sanctissimam Eucharistiam esse institutam in memoriā Passionis Christi Dei nostri, & omnis eius dispensationis*, vt in supra citatis eorum verbis videre est. Quando igitur Papa, & Concilium negant, Patres appellasse Sanctissimam Eucharistiam Imaginem corporis Christi, non loquuntur in isto sensu, vt modo dictum est; non enim negant esse Imaginem Passionis Christi, & omnis eius dispensationis, nam cum Pontifex, & Concilium apertè fateatur Sacramentum Corporis Domini esse factum ad memoriam Passionis Christi, & omnis eius dispensationis, certum est tenuisse quod Sacramentum ex sua institutione illa omnia significaret, ac proinde nullo modo potuisse in hoc sensu affirmare, numquam à Sanctis Patribus fuisse appellatum Imaginem se, passionis Christi, aut glorificationis nostræ. In alio igitur sensu, & Concilium & Pontifex negant Eucharistiam esse Imaginem corporis Christi, & in eodē hoc sensu aiunt, numquam fuisse Sanctissimum Sacramentum appellatum Imaginem à Sanctis Patribus.

Sed quis sit hic sensus illius vocis, Imago; negatus à Concilio, Pontifice, & Patribus Eucharistiæ Sacramento, videtur indagandus hoc discursu. Certū est Concilium, & Pontificem in eo sensu negasse Eucharistiam esse Imaginem corporis Domini, in quo id asserebant Iconoclastæ, in sua definitione; atque in hoc nulla videtur esse difficultas. Sed Iconoclastæ vt tollerent omnem adorationem purarum creaturarum, ne, vt ipsi dicebant, committeretur in illarū cultu Idololatria, affirmabant Eucharistiam solam esse Imaginem corporis Christi adorandam, ergo nomine, Eucharistiæ non intelligebant puram aliquam creaturam, sed ipsummet corpus Christi Diuinitati hypostaticè vnitum, atque ita ipsummet corpus Domini Diuinitati vnitum, asserebant esse verā Imaginem Christi adorandam sine periculo Idololatriæ. En verba Iconoclastarum: *Quemadmodum secundum naturam Christi corpus (vtpote quod à Deo est) sanctum est, sic & positione, videlicet Imago eius sancta, vt quæ per quamdam sanctificationem ipsa Dei gratia manet; hoc enim Dominus Christus maclauit, & sicut carnem, quam assumpsit, propria secundum naturam sanctificatione in sua vnione deificauit; similiter etiam panem Eucharistiæ veluti veram Imaginem naturalis carnis eius per Spiritus sancti aggressionem sanctificatam, diuinum corpus esse voluit.* Sic ipsi. Patet igitur, quod per Iconoclastas in tātum Sanctissima Eucharistia est Imago adoranda in quantum panis est factus diuinum corpus, hoc est Corpus Christi Diuinitati

vnitum

vnitum; at propterea fideles adorando hanc Imaginem, in qua ipsa diuinitas continetur, Idololatriam non committebant. Atque ita per ipsos Imago Eucharistiæ erat Imago non solum secundum substantiam, sed etiam per identitatem; quia ipsamet substantia carnis Christi diuinitati vnita, erat vera Imago corporis Christi, quæ adorari licitè poterat sine periculo Idololatriæ; & in hoc sensu loquebantur hæretici Iconoclastæ.

Atque in hoc eodem sensu, quo hæretici affirmabant Sacramentum esse Imaginem scilicet secundum substantiam corporis Christi, diuinitati vnita quæ sub speciebus sacramentalibus continetur, negatum fuit à Concilio, Pontifice, & Patribus; nam Concilium, & Pontifex expresè habent Eucharistiā secundum substantiam, quam continet non esse Imaginem Corporis Christi, sed ipsum verum Corpus Christi: quia Christus non dixit Hoc est Imago Corporis mei, sed est Corpus meum, & si est Imago Corporis Christi non potest esse Corpus Christi. quæ verba Concilij necessario sunt intelligenda de ipsa substantia, quæ sub speciebus Sacramentalibus continetur de ea enim dixit Christus, quod sit Corpus eius, atque adeo Concilium, & Pontifex negant hanc Imaginem secundum substantiam & per identitatem; numquam vero negant Corpus Christi, vt velatum sub accidentibus panis, & vini, & vt stans sub isto modo essendi Sacramentali esse Imaginem sui ipsius, seu repræsentare seipsum existentem sub alio modo essendi, idest vel patientem in Cruce, vel glorificantem homines reuelata facie in cælo, quin imo id expresè significarunt in verbis supra allegatis. Patres vero numquam in sensu Iconoclastarū appellarunt Sacramentum Imaginem; sed in sensu Catholico, supra explicato ex doctrina Cardinalium de Lugo, & Bellarmini, & à Concilio Niceno, Pontificeq; Adriano admisso. En D. Damascenum dicentem. *Nec vero panis, & vinum Corporis Christi figura sunt (absit enim hoc) verum ipsummet Domini Corpus Diuinitati affectum; quippe cum Dominus ipse dixerit, hoc est, non Corporis figura, sed corpus; nec sanguinis signum, sed sanguis*. Et Theophilatus in caput 26. Matthæi habet. *Porro dicens, hoc est corpus meum, ostendit quod ipsum Corpus Domini est panis, qui sanctificatur in altario, & non respondens figura; nō enim dixit, hoc est figura; sed hoc est corpus meum, ineffabili enim operatione transformatur, etiamsi nobis videatur panis*. Idem fatetur Eutimius in cap. 64. Enarrat. in Matthæum, dicens; *Sicut vetus testamentum hostium, & sanguinem habebat, ità sanè & nouum, corpus videlicet; & sanguinem Domini, non dixit autem, hæc sunt signa corporis mei, & sanguinis mei, sed hæc sunt Corpus meum, & sanguis meus*, & S. Nicephorus Constantinop. lib. de Cherubinis Mosaicis cap. 7. habet. *Si corpus Christi dixeritis esse Imaginem Christi, ipse quidem corpus propriū vocat; Constantinus vero Iconomachus Imaginem Christi vocat, quod nobis dedit Christus ad manducandum. Quomodo igitur idem dicitur Corpus Christi, & Imago Christi? quod enim est alicuius Imago, hoc corpus eius esse non potest, & rursus, quod est corpus, non potest esse eius Imago; omnis enim Imago, alia est ab eo, cuius Imago est; quod si Filium dicit scriptura Imaginem Patris, at si non natura hypostase tamen, & Persona differt Filius à Patre. Si igitur sanctum Corpus, quod in communione sacra sumitur, Imago Christi est, aliud dicitur esse præter corpus Christi; nullum enim corpus alicuius est Imago eius, sicut* Imago. Sic iste Sanctus. Quid clarius de mente Sanctorum Patrum.

Restat igitur inter Sanctos Patres Concilium, atque Pontificem, nullam esse in hac materia discrepantiam, atq; adeò rectè Concilium dixit. *Nullum ex Sanctis Patribus vocasse sacratissimam Eucharistiam Imaginem Corporis Christi*, in eo sc. sensu, in quo fuerant Iconocla-

stæ loquuti, quando diuinissimum Sacramentũ appellabant veram Iesu Christi Dei nostri Imaginem; & Cardinales prædicti, qui contra nos citantur in eo sensu, in quo vocant cum Sanctis Patribus Sacramentum Imaginem, nullo modo contradicunt Concilio Niceno, neq; nostræ sententiæ.

Et quamuis in locis supra ab aduersarijs citatis nõ videatur dicti Cardinales sequi rationẽ Concilij, qua vtebatur ad ostendẽdũ auctoritate SS. Patrum non posse Sacramẽtũ vocari Imaginẽ, vt dicebatur ab Iconoclastis; ducti, vel quia supponebant docere Concilium, negari à Sanctis Patribus Eucharistiæ Sacramẽto appellationẽ Imaginis latè sumptã, & in omni sensu, in quo in hac materia potest accipi (non.n. in dictis locis examinabant ex professo mentem Concilij; sed de hac re loquuti sunt per trãsennã, ac de alia re tractantes;) vel etiã quia sciebant rationes Conciliorum, maximè illæ, quę ex facto aliquo desumuntur, vt erat ista; an Sancti Patres vocent, vel non vocent Eucharistiam antitypon ante, vel post consecrationẽ; non esse necesse, vt semper sint validę, ac firmæ, quod esse verum aduertit Suarius disp. 54. sect. 2. to. 1. in 3. par. his verbis. *Necessarium non est omnes rationes Conciliorum esse solidas*, Et consequẽter tenebant, si ratio in contrarium rationi Concilij firmior appareret, posse illã deseri sine Concilij iniuria. Vnde ipsemet Bellarm. lib. 2. de auctor. Concilij cap. 8. §. 15. *proferunt*, respondens hæreticis nostri temporis, obijcientibus varios Conciliorum prætensos errores, ait de aliquibus, *esse errores in facto*. Quę omnia sunt in casu nostro; nam ex vna parte prædicta quæstio videbatur, vt dictum est esse de facto; ex alia verò manifestè constabat Sanctos Patres vocasse Sanctissimam Eucharistiam in aliquo sensu Imaginem etiam post consecrationem, tamen ipsi numquam negarũt conclusionem, quam docuit Conciliũ à nobis supra explicatam, vt de Bellarmino constat ex locis pro nobis supra citatis, qui in loco pro aduersarijs citato dedit Epiphanio dictam confutationem, non vt Auctori, sed vt Lectori, quia illam in Concilio legerat, & ad singula capita, quæ ipse legit, eius præfigitur nomen, quod ob eamdem causam idem faciunt Suarius, & alij auctores citando prædictam confutationẽ; non enim erat adeo imperitus Cardin. Bellarminus, & reliqui auctores, vt eos faciunt aduersarij, vt vellent eam confutationem tribuere tamquam auctori Epiphanio Diacono, quem per acta eiusdem Synodi constabat illius fuisse merè lectorem. Et cum, vt exponunt Cardinales prædicti Sanctos Patres, hi non contradicunt Concilio in eo sensu, in quo negat Sanctos Patres vocasse Sacramentum Imaginem post consecrationem; vt iam probauimus; manifestum est; nullo modo in locis supracitatis contra nos fauere aduersario. Qui cum in suis meditationibus appellet Sacramentum Imaginem nõ in eo sensu, in quo, vt explicatum est, appellant Cõcilium, Pontifex, & Sancti Patres; vt hos interpretantur Cardinales Delugo & Bellarminus ab ipso pro se citati; sed in eo potius, quo Iconoclastæ; meritò iudicatum est, talem appellationem esse expungendam; vt conformem modo loquendi Iconoclastarum à Concilio Niceno, & sede Apostolica damnato.

Quod vero prædictus auctor non loquatur in eo sensu, in quo Sãcti Patres, inde manifestũ est, quia ex eius doctrina supra relata, clarissimè patet, eum tenere substantiam Corporis Christi, in quam panis substantia per verba consecrationis conuertitur, & quę ex vi verborum ponitur sub speciebus sacramentalibus, incipere esse de nouo sub dictis speciebus, quia per generationem producitur ab humanitate Christi, existentis in cęlo, habente virtutem pariendi, & fæcunditatem admirandam, similem fæcunditati Patris in diuinis, generãtis verbum, cum hoc tamen discrimine,

quod

quod in generatione Verbi Filius procedens est persona distincta à Patre generāte, quamuis natura diuina in vtraq; persona sit prorsus eadem numero. In generatione verò Christi sub speciebus sacramentalibus existentis, substātia Christi, quæ producitur, neque per sonaliter distinguitur à Christo Patre, à quo producitur, & cum quo eamdem numero prorsus naturam etiam habet Vnde satis consequenter ad sua principia dixit, defendendo dictas suas Meditationes, quod Christus filius in Sacramento existens sit Imago per identitatem Christi Patris existentis in cœlo, ergo ratio per ipsum cur Christus filius in Sacramento sit Imago Christi Patris in cœlo, fundatur in ipsa substantia Christi filij per generationem accepta à Christo Patre in cęlo, quia illam substantiam Corporis Christi, quæ (vt satis probabiliter aliqui putant) per productionem ponitur sub speciebus panis, ipse dicit, poni sub iisdem speciebus quia generatur ab humanitate Christi fœcunda, quę existit in cęlo. Vnde inter Christum in Sacramento, & Christum in cęlo, ait, ex hac generatione resultare relationes Paternitatis, & Filiationis, & consequenter etiam rationē ipsam Imaginis in substantia, & natura, quæ necessario in Christo filio sequitur ex eo, quod fuerit genitus à Christo Patre existente in cælo non solum, quia generatio ex sua ratione habeat facere genitum similem in natura Patri generanti, sed etiam ex ratione huius generationis in particulari, de qua docet hic auctor, quod det filio eamdem numero substantiam, quā habet Pater, ac etiam personalitatem; ac propterea reperitur in hoc Sacramento perfectissima per ipsum ratio Imaginis, vt dictū est, quę omnia non sequerentur, nisi ratio Imaginis fundaretur in ipsa substantia Christi filij, vt supra à Christo Patre accepta, ac propterea per ipsum Christus filius est Imago secundum substantiam, quam habet, & non secundum modum existendi, sub quo est in sacramento vt dicunt Sancti Patres. Vnde ex doctrina huius Auctoris sequitur manifestè quod, si Christus conuerteret in altari substantiam panis in corpus suum, retenta propria corporis sui specie, quam habet in cælo; etiam in hoc casu per dictum Auctorem Christus in altari productus, esset Imago Christi in cælo existentis: nam etiam in hoc casu ab illo produceretur in idētitatem non solum naturæ, & personæ sed etiam externę speciei; vnde Christus sic productus, magis repræsentaret Christum producentē, & consequenter esset verior illius imago. Ex quibus clare patet, quod ratio Imaginis non fundatur per hunc Auctorem in modo quo de facto Christus existit in Sacramento, sed in ipsa substantia Christi, ex eo quod fuit producta sub speciebus Sacramentalibus à Christo existente in cœlo. Atquè ex eadem caussa putat rectè dici posse Christum in cęlo producere suam Imaginem in Sacramento, illamquè diligere, & Imaginem productam diligere suam substantiam, vnde traxit originem. Insuper videtur illi hęc Imago sic producta, posse rectè appellari adiutorium simile Christo existenti in cœlo, simile inquā in natura, & essentia, (vt fuit Eua Adamo,) datum in terris à Deo Patre, cui Christus, existens in cœlo, animas commendet fidelium, quæ viuunt in terris, & similia.

Hęc autem numquam dixere Sancti Patres, neq; prædicti Cardinales ab ipso citati: nam Sancti Patres non posuerunt rationem Imaginis in ipsa substātia Corporis Christi, quæ sub speciebus panis continetur, in quam panis substantia conuersa est, quia docuerunt dictam substantiā esse ipsum Corpus Christi verum, & non eius Imaginem, & si quando vocarunt Sanctissimam Eucharistiam Imaginem, vel figuram posuerunt rationem Imaginis, seu figurę in modo essendi, quem habet Christus in

Sacramento realiter distincto ab eo, quem nunc habet in cęlo, vel habuit olim in Cruce, vt bene innuit Suar. in to.3. 3. par. sup. cit. declarans in quo sensu Sancti Patres dixere aliquando Sacramentum Imaginem, Suario consentit Raynaudus in suo Candelabro sect. 5. ver. Antitypa Corporis, & sanguinis Domini veri. Sic igitur accipiendum. vbi sic ait. *Sic igitur accipiendum, quod Patres initio adducti docuerunt, Eucharistiam iam consecratam esse antitypum Corporis, & sanguinis Domini; siue repræsentare corpus, & sanguinem Domini in alio quopiam statu, vbi Corpus, & sanguis Domini in alio statu, quam Sacramentali, aut prout aliquid in nobis caussantia sunt terminus passiuus significationis Eucharistiæ; secundum quem Corpus, & sanguis Christi in Sacramento dicuntur antitypa ipsorum.* Sic Raynaudus explicans sanctos Patres. Sed audiamus ipsos Sancti Patres de hac re loquentes. En D. Augustinum in lib. sententiarum Prosperi, relatū de consecr. dist. 2. c. 137. qui ait, *cum frangitur hostia dum sanguis de calice in ora fidelium funditur: quid aliud, quam Dominici corporis in Cruce immolatio, eiusque sanguinis de latere effusio designatur.* En etiam D. Hilarium Papam de consecr. distinct. 2. c. 179. vbi ait *Corpus Christi quod sumitur de altari figura est, dum panis, & vinum extra videtur: veritas autem, dum Corpus, & sanguis Christi in veritate interius creditur.* Sic isti Sancti, qui ponunt rationem figuræ, & repræsentatiui non in corpore Christi, sed D. Augustinus in fractione hostię, & effusione sanguinis in ora fidelium; figuratum verò declarat esse passionē Christi, eiusq; in Cruce immolationem, & S. Hilarius in ipsis sacris speciebus, quę corpus Domini contegunt, posuit rationem figuræ, figurati verò in ipso Corpore Christi, quod esse sub speciebus creditur. Similiter etiam S. Damascenus lib. 4. de ortod. fide cap. 14. sic habet; *figura porrò rerum futurarum idcirco dicuntur, non quod non verè Corpus, et sanguis Christi sint; sed quod nunc quidem Diuinitatis Christi per ea participes efficimur, tūc autem intellectuali modo per solum aspectum.* Ergo per hunc Sanctum Patrem ratio figurę consistit in hoc Sacramento; quia sicuti hic per illud participamus corporaliter ipsam carnem Christi & cum ea Diuinitatem illi hypostaticè vnitam, ità in coelo modo intellectuali eamdem contemplabimur; non igitur substantia Christi est Imago, sed participatio eiusdem substantiæ per D. Damascenū, repræsentat alium modum, quo diuinitatem videbimus in cælo aperta facie. quod ipsum dicit Ecclesia in Collecta Missę sollemnitatis Corporis Christi his verbis. *Fac nos quæsumus Domine Diuinitatis tuæ sempiterna fruitione repleri, quam pretiosi Corporis, & sanguinis tui temporalis perceptio præfigurat.* Ipsa igitur perceptio, & non substantia Corporis Christi est figura, & Imago per Ecclesiam: & clarius loquitur D. Anselmus apud Suarium loco supra cit. dicēs *Christi benedictione panis fit corpus eius, non significatiuè tantum, sed etiam substantiuè, neque enim ab hoc Sacramento figuram omninò excludimus; neq; eam solam admittimus. Veritas est, quia Christi Corpus est: Figura est, quia immolatur, quod incorruptibile habetur.* Sic D. Anselmus. Vide quod ratio figuræ ponitur non in corpore Christi, sed in modo, quo Christus est in Sacramēto quia sc. Christus in Sacramento immolatur, quo loco Suarius omnes Sanctos Patres in hoc eodem sensu esse loquutos, referendo ipsorum verba demonstrat, quod multo ante docuerat Guitmundus contra hæreticos Berengarianos lib. 2. de verit. Euchar. explicans locum D. Augustini in lib. de Doctrin. Christiana, vbi S. Doctor appellat Euchar. Sacramentum signum, & figuram, ex quo hæretici prædicti inferebant. *proinde ergo figura est, inquit Aug. in hac loquutione.* Guitmundus aūt cōtra sic insurgit. *Hic iam obstrepit: hic iā*

ad

ad gaudet fortassis? V. mbraticus? noli præpostere vmbratice, noli præcipitanter gloriari: Cuius rei figura dicatur hic esse, patienter, & diligenter aduerte: figura ergo est, ait Aug. præcipiens: quid præcipiens? quid figurans? hoc enim figurat, quod præcipit: Passioni Domini, inquit, communicandum, & suauiter, atq; vtiliter recondendum in memoria; quod pro vobis caro eius Crucifixa, & vulnerata sit. Deo gratias. quidquid igitur illud est quod August. hic figuram appellat, (nã quid figuram dicat in his eius Verbis agnosci non tam facile potest) non vtique corporis Domini, sed Crucifixionis eius, & vulnerationis; hoc est occisionis, nostræq; communicationis cum eo, id est vt imitemur Christũ, & communicemus passioni eius compatiendo, manifestissime figuram esse demonstrat; & subdit, *quod si quæramus quid hic figuram August. dixerit? nihil vtique tam congrue videtur occurrere, quam id quod paulo superius Doctor idem iam dixerat, idest celebratio ipsa corporis & sanguinis Domini; quas ob res stulte, & insipientissime Berengariani librum de Doctrina Christiana nobis obijciunt; cum cibus altaris Domini nusquam ibi figura dicatur, & quid quid illud sit, quod signum ibi, & figura dicitur, non vtique signum & figura corporis Domini, sed passionis Domini, & nostræ communicationis cum eo certissime demonstratur,* vt & infra: post longã probationem, in quo sensu sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum dici possit signum, concludens posse dici signum multorum bonorum, & etiã Corporis Domini, idest Ecclesiæ, statim subdit. *Ipsius vero corporis, quod diuinitas Saluatoris proprie indutus est, apud quẽpiam doctorum vix aliquam, aut vix signum aperte dici reperies,* & paulo infra explicans, in quo sensu si reperiatur debet intelligi, ait. *Quis enim hominum, ... vt est verbi causa, qui operante qualibet, vel etiam solo suo motu spontaneo non significet se viuentem? Itaq; fit, vt vnus homo in substantia semper idem, secundum diuersa opera seipsum significare possit. Ita ergo Christus substantialiter semper idẽ, tamen visibilia operans seipsum significat inuisibilia operantem. Adhunc quoq; modum sacri altaris oblatio, cum substantia corporis Christi veraciter sit, secundum visibilem speciem, & visibilia mysteria vel de ipso Domino, vel de eius Ecclesia absq; fidei nostræ periculo aliqua significare potest.* Sic Guitmundus explicans Patres, si quando in illis inueniretur prędicta forma loquendi. Et cum apud doctos viros, vt respondeant calumnijs hæreticorum, cõtendentiũ, ex eo quod sanctissimum Sacramentum sit sacrum signum, non possit continere veritatem corporis Christi, reperiatur posse idẽ esse figuram, & figuratũ; quod vt probent, afferunt paritatem de Verbo in diuinis quod sit figura substantiæ Patris, vt fecit Guitmundus loco modo citato, numquam tamen dixerunt inter figura, & figuratũ nullam esse distinctionem; nam etiam inter Patrem, & Filiũ in diuinis in ea ratione, qua Filius est figura Patris, est in persona distinctio realis: & vt ostendit idem Guitmundus inter Sacramentum Eucharistiæ, & id, quod significat, magna intercedit discrepantia, vt modo vidimus, & consequenter, ex sententia istorum Auctorum per Sanctos Patres ratio Imaginis inter Christum in Sacramento, & seipsum, vt patientem in Cruce, aut reuelata facie sotiantem animas in coelo; nõ est per identitatem, vt vult auctor, quem impugnamus; quia per Sanctos Patres Christus, vt sub vno statu, seu modo essendi Sacramentali repræsentat seipsum existentem sub alio modo essendi; & cum hi modi essendi, in quibus in hac materia consistit per Sãctos Patres ratio Imaginis, & termini per illam repræsentati, sint inter se diuersi, nõ potest inter Imaginem, & prototypum in hac materia esse identitas in ratione illa, in qua consistit ratio Imaginis per Sanctos Patres, vt per se manifestũ est. Iconoclastæ verò volebant ipsammet substantiam Carnis Christi esse veram

Imaginem Diuini Corporis; tenebant enim inter Imaginem, & prototypum esse identitatem ex VII. Synodo act. 6. circa finem, vbi sic habet. *Stoliditatem ingenii insani ex his etiam deprehendere licet: idem esse aiunt Imaginem, & exemplar primum Imaginis*, & paulo infra subdit. *hoc modo isti, & ipsum Christum, & Imaginem ipsius nihil secundum substantiam inter se differre aiunt.* Sic Concilium. Cum igitur auctor meditationum idem doceat; cum Iconoclastis conuenit in modo loquendi, non cum Sanctis Patribus.

Quod verò neq; Cardinales Delugo, & Bellarminus, ab ipso pro se citati vllo modo dicant, quod ipse docet, quando in locis ab eo citatis dixerunt, Panem Eucharistiæ etiam post consecrationem esse Imaginem, & repræsentare Corpus Christi, inde manifestum est; quia prædicti Cardinales non solum non docent substantiam Corporis Domini poni sub speciebus panis per generationē, qua Christus in cœlo producat in Sacramento suam imaginem, sicut Pater in Diuinis Filiū, vt vult iste auctor; in qua produtione ipse fundat rationem Imaginis à se explicatæ, sed negant etiam poni per vllam substātialem productionem, vt alij probabiliter tenent. Et quidem Bellarminus sic habet expresse lib. 3. de Euchar. cap. 18. §. *Ex his colligimus*. & de Lugo in tr. de Euch. disp. 7. à num. 21. vbi probat conuersionem panis in Corpus Christi non posse esse productionem substantialē, & multo minus factam ab ipsa humanitate Christi, & à num. 26. per totam sequentem sectionem, nec nō etiam in tertia, & quarta sequentibus impugnat, docentes talem substantiæ Corporis Christi productionem.

Neque etiam illi Doctores, qui probabiliter volunt conuersionem panis in Corpus Christi fieri per substantialem productionem, docent opinionem huius auctoris, quia nullus ex his vnquā docuit humanitatem Christi, quæ seipsam, vt instrumentum Dei, reproducit sub speciebus panis, generare dicta actione seipsam, & ex vi huius productionis generare, vt Pater in Diuinis Imaginem sui, atq; adeo esse Patrē suæ substantiæ productæ in Eucharistia, & rationem Imaginis in Sacramēto ex hac generatione, seu productione consurgere: vt hic auctor dicit in suarum meditationum defensionibus. Immò isti, vt de Suario manifestè constat, tenent Sacramentum dici figuram quo ad modum, quatenus sc. Christus, vt sub aliena specie existens, seipsum repræsentat in propria glorificantem beatas mentes; est enim Sacramentum, per ipsum pignus gloriæ. Vnde restat doctrinam huius Auctoris esse omnino nouam, & à nullo Doctore Catholico vnquam neque speculatiuè traditam; quare rationabiliter visum est, neque debere tradi imperitis ad meditādum; maxime quia in modo loquendi, appellante Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum Imaginem nō solum cum antiquis Iconoclastis, sed etiam conuenit cum Caluinistis, alijsq; Hæreticis nostri temporis, absque vllo spirituali meditātium profectu, sed potius cum damno rudium, sectantium Hæreticos prędictos, quibus ipsorum Ministri ex his meditationibus ostenderent, etiam Papistas, vt ipsi nos appellant, cognouisse tandem Eucharistiæ Sacramentum esse Imaginem, atque ita illud vocare cum maximo veritatis, & animarum detrimento, ac fine vllo fidei, ac Romanæ Ecclesiæ bono. Atque ita sentio. Saluo semper meliori iudicio S. R. E. & Catholicorum Doctorum.

Hieronymus la Chiana, e Societate Iesu.